

Qui dum secundarijs & tertianis, quartanis, quintranis minutjs inhiant, integras interim partes prætereunt neque respiciunt, & in momenti τῶν φαινομένων sæpe horris non etiam nunq̄ diebus totis aberrant. Hoc nimirū est q̄d in fabulis Esopidis fit ab eo, qui iussus bouem amissam reducere, dum auiculis quibusdam captandis studeat, neque his potitur, & boue etiā ipso priuatur. Recordor cum & ipse iuuenili curiositate impellebar, & quasi in penetralia siderū peruenire cupiebam. Itaque de hac exquisitione interdū etiam rixabar cum optimo & max. uiro Copernico, Sed ille cū quidem animi mei honesta cupiditate delectaret, molli brachio obiurgare me, et hortari solebat, ut manū etiam de tabula tollere discerē. Ego inquit, si ad sextantes, quæ sunt scrupula decem, ueritatē adducere potero, nō minus exultabo animis, quam ratione normæ reperta Pythagoram accepimus. Mirante me, & annitendum esse ad certiora dicente: Huc quidem cum difficultate etiam peruentū iri demonstrabat, Cū alijs tum tribus potiss. de causis. Harum primam esse aiebat, q̄ animaduerteret plærasque obseruationes ueterum sinceras non esse, sed accōmodatas ad eam doctrinā motuum, quam sibi ipsi unusquisque peculiariter constituisset. Itaque opus esse attentione & industria singulari, ut, quibus aut nihil aut parum admodū opinio obseruatoris addidisset detraxissetue, ea à corruptis secernerent. Secundā causam esse dicebat, siderum inerrantiū loca a ueteribus non ulterius quam ad sextantes partium exquisita, Et secundū hæc tamen præcipue errantiū positus capi oportere, pauca excipiebat, in quibus declinatio sideris ab æquinoctiali annotata, rem adiuuaret, q̄d de hac locus ipse sideris certius constitui iam posset. Tertiam causam hanc memorabat, Non habere nos tales autores, quales Ptolemæus habuisset post Babylonios & Chaldæos, illa lumina artis, Hipparchum, Timocharem, Menelaum, & cæteros, quorum & nos obseruationib. ac præceptis niti ac confidere possemus. Se quidem malle in ijs acquiescere, quorum ueritatem profiteri posset, quam in ambiguorū dubia subtilitate ostentare ingenij acrimoniam. Haud quidem longius certe, uel etiam propius omnino abfuturas suas indicationes sextante aut quadrante partis unius a uero, Cuius defectus, tantum abesse ut se pœniteat, ut magnopere lætetur huc usque longo tempore, ingenti labore, maxima contentione, studio & industria singulari, procedere potuisse. Mercuriū quidem, quasi secundū prouerbiū Græcorum, relinquebat in medio cōmunem, q̄ de illo neque suo studio obseruatū esse diceret, neque ab alijs se accepisse, quo magnopere adiuuari aut q̄d omnino probare posset. Me quidem multa monens, subiiciens, præcipiens, in primis hortabatur, ut stellarū inerrantium obseruationi operam darem, illarum potissimū quæ in signifero apparent, quod cū his errantium congressus notari possent. Hoc cum doctiss. uir Gemma Phrysius & ipsum fieri oportere statuatur, quasi alterum hac ætate Copernicum, fundamenta huius artis firma eum iacere intelligo, et, ut par est, ueneror animo meo. Neque ego cum de Copernici operib. ita loquor, ut iudicio ipsius defendam in his imperfecta quædā, & aliorū affectatam & obscuram diligentiam rephendam, uideri uelim hoc agere, ut illius studium & industriam debilem. Immo optarim & potentes ac opulentos impensis sumptibus, & doctos ac eruditos operis ac laborib. communicatis, p̄clarissimæ rei curam suscipere, ut his etiam temporib. hæc ars absolueretur. Copernicus quidem cum & iniqua iudicia aliorū reformidaret, & in sua ipse inuenta acerrime inquireret, impulsus tamen à Reuerend. domino Tidemāno Gissio &c. opus suum composuit & edi passus fuit. Non ut alijs in istis inuentis ac traditis con-

tis con-